

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCCLXXX**

**VD18 90514300**

Reverendissimo in Christo Patri Ac Domino D. Thomae S. R. E. TT. S.  
Ceciliae Presbytero Cardinal Archiepiscopo Eboracensi, Angliae Primati Ac  
Totius Regni Cancellario Summo Des. Erasmus Roterodamus. ...

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI  
AC DOMINO D. THOMAE

S. R. E. TT. S.

CECILIAE PRESBYTERO CARDINALI  
ARCHIEPISCOPO EBORACENSI,  
ANGLIAE PRIMATI AC TOTIUS REGNI  
CANCELLARIO SUMMO  
DES. ERASMUS ROTERODAMUS.

S. D.

**Q**uum frequenter circumspectassem, quanam studiorum meorum foetura magnitudini tuae responderem, quae me hactenus sane deterruit, ne quid lucubrationum mearum auderem tibi dedicare, tandem mihi visus sum bis ineptus; primum, quasi sit aliquid in meis literis ingeniove, quod etiamsi me rupero, tuam amplitudinem possit aequare, sive spectemus dignitatis istius fastigium, sive hoc fastigio dignissimas animi tuidotes, sive officia, quibus quotidie tua benignitas onerat non tam me, quam ipsa bonarum literarum ac vere theologiae studia, aut quasi tu sis es, qui librum voluminis magnitudine magis, quam utilitate soleas aestimare. Quamquam igitur nondum perfunctum provincia paraphraseon, quibus epistolas Paulinas,

*Tom. III.*

Ccc

certo germanas duntaxat explicui, fatigatis etiamnum  
 viribus, mox exciperet dimicatio cum obtrectatoribus:  
 Tamen illis tumultuario milite profligatis, iisdem sta-  
 tim copiis aggressus sum duas epistolas apostoli Petri,  
 et unam Judae; simul illud mecum cogitans, quod di-  
 vis offertur, aut viris summatibus, aptum esse oport-  
 ere magis, quam aequale. Siquidem olim absurde fa-  
 cere visus fuisset, si quis Musis offerret Hecatomben,  
 aut hederaceas corollas Marti. Itaque primum illud  
 mihi visum est congruere, si ad tam eximium religio-  
 nis antistitem iret Petrus, incomparabilis ille christiana  
 religionis princeps, ut quemadmodum illo duce nata  
 est ac propagata sincera vereque evangelica philoso-  
 phia, ita tua pietate, quae se magis ac magis in dies ex-  
 serit, nonnihil collapsa restituatur, ut est natura rerum  
 humanarum semper in deterius prolabentium, ni ma-  
 gno studio nitamur in diversum. Quod si quid etiam  
 commendationis adiungit operis difficultas, multo plus  
 hic fuit negotii, quam pro voluminis modo. Facit  
 hoc partim Petri phrasis, multo quam Paulina perple-  
 xior, partim quod in his non perinde sublevamur ve-  
 terum commentariis. Nam quos hodie habet glossa,  
 quam vocant ordinariam, ex Bedae vestri commenta-  
 riis ad verbum desumpta sunt, viri profecto nec indoci,  
 nec indiligentis, quantum illa ferebat aetas, idque mi-  
 ro artificio factum est. Pars commentariorum subdu-  
 eta est in spatum marginis, pars resecta est in interval-  
 lum, quod versus epistolae dirimit. Titulus in totum  
 fere ademtus est, haud scio quo consilio. Insunt in  
 omnibus loca nonnulla, quae lectorem attentum et cau-  
 tum requirant, velut in prima de Christo, qui in spi-

ritu praedicarit spiritibus in carcere constitutis, qui olim fuissent increduli, item de evangelio mortuis et iam praedicato. In secunda, de daemonibus in iudicium servatis, de maledico iudicio, quod nec angeli ferunt adversum se, tametsi nos locum hunc aliter sumus interpretati a Beda dissimulatum, de terra ex aqua et per aquam condita, de coelis et elementis incendio solvendis, quibus ex locis nonnulli hauserunt occasionem erroris. In epistola Judae, de iudicio blasphemiae, qui locus defunctus putatur ex apocryphis Enoch, ex quibus et paulo post adducitur vaticinium, quum is non legatur quidquam scripsisse. Hanc autem ideo subieccimus, quod cum epistola Petri posteriore, non solum stilo ac sententiis, verum etiam verbis mire congruat, quaedam illius velut interpretans, quod genus illud, de iudicio blasphemiae. De priore Petri nunquam fuit dubitatum, de posteriore fuit, tametsi mentionem facit transfigurati domini, cui rei non plures tribus discipulis testes adfuerunt. Unde si Petri non est, oportuit esse alicuius, qui se Petrum haberi voluerit. Epistola Judae serius obtinuit auctoritatem, quod adducat testimonium e libro, qui inscribitur Enoch, in quo ferunt haberi quaedam non satis consentanea doctrinae catholicae. Sed quid vetat, sic ex apocryphis adducere nonnihil in loco, quemadmodum Paulus ex Epi menide citat testimonium? Caeterum quum in priore Petrus testetur, se scripsisse per Sylvanum, et in posteriore aperte testetur eam esse secundam; hanc, inquiens, ecce vobis carissimi secundam scribo epistolam: Non video, qui res possit explicari, nisi aut posterior Petri non sit, aut Sylvanus eam scriperit iussu Petri.

Ccc 2



Quodsi haec ab ipso Petro scripta est, videtur tres scripsisse, quarum prima interciderit. De tempore ac loco nihil habetur comperti, nisi quod coniectant, priorem Romae scriptam, quam in fine Babylonem appellavit, imperante Claudio Caesare. Sed ne longior sit opere praetatio, magnopere cupimus, ut hanc industriam nostram, si quo pacto meretur, R. T. D. candido calculo commendet studiosis, non quod ipsi venemur aliquid apud celsitudinem tuam, quum nec hic animus unquam, nec nunc haec aetas faciat ad ambitionem, sed quod ex eorum favore iudicioque, qui summa dignitate praeminent, mirus ardor ac stimulus addatur studiosis. Praeter multos absolute doctos subolescant in vettra Britannia tuae benignitatis auspiciis complures optimae spei iuvenes, qui olim et maiora praestabunt et felicius, si studium illorum inflamarit aura tui favoris. Atque utinam buc incumbant posthac nostra studia, ut ad optimas disciplinas animi mortaliū, et brevitatis et facilitatis illecebra pellicantur potius, quam dum nos affectata difficultate prolixitate que studemus videri magnifice docti, optima quaeque ingenia a rebus optimis alienentur. Id praestabunt felicius alii permulti, non dubito, at maiore fide quam nos fecimus, non adeo multi. Quod si huiusmodi sanctissimis conatibus, ita ut instituit, favere perget amplitudo tua, tum apud Deum egregiam laudem sibi parabit, tum apud posteros honestissimam sui memoriā relinquet. Eam nobis diutissime servet incolument Christus optimus maximus.

---

VITA



## VITA SANCTI PETRI APOSTOLI

PER

DIVUM HIERONYMUM.

**S**imon Petrus filius Ioannis, provinciae Galilaeae, vico Bethsaida, frater Andreae apostoli, et princeps apostolorum, post episcopatum Antiochenis ecclesiae, et praedicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, et Bithynia, secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, id est, decimum quartum. A quo et affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum, ut sic crucifigeretur, ut dominus suus. Scripsit duas epistolas, quae catholicae nominantur, quarum secunda a plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed et evangelium iuxta Marcum, qui auditor eius et interpres fuit, huius dicitur. Libri autem eius, e quibus unus Actorum eius inscribitur, alias evangelii, tertius praedicationis, quartus apocalypsis, quintus iudicii, inter apocryphas scripturas reputantur. Sepultus Romae in Vaticano iuxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur.

Ccc 3

In

